

*jam multi Catholicae fidei subditi, ac septiformis spiritus gratia confirmati manus impositionem acceperunt. Si ad obsesas antea in Haslia metas, i. e. ad illum locum, quem prima vice occupaverat, nam id voce meta, quæ certum aliquid atque fixum designat, innuere voluit, rediit, cum secundum ingrederetur patriam nostram perficiendi suscepti operis gratia, in ea vero expeditione Geismariae non longe a Buraburgo fuit, ut in disertatione de Arbore Jovis demonstravimus, clarissime inde constare puto, eum pariter in prima expeditione heic loci fuisse, cum alias ad certam illam metam in Haslia eum rediisse dici non possit.*

§. VII.

Quid in Haslia egerit Bonifacius, jam alia occasione docuimus, nempe condidit varia monasteria, excitavitque basilicas, in quibus & juniores, & seniores erudirentur. Horum omnium curam, quamdiu in patria praesens, gerebat indefessam; verum cum & aliis gentibus Evangelium esset explicandum, Episcopum in suum locum sufficere decernebat, qui se absente & docentes & discentes in suo contineret officio, Ecclesiasque Hasliacas suo exemplo pie & prudenter moderaretur. Eum in finem Buraburgum, arcem illam munitissimam, sedem Episcopatus eligebat, cujus originem & fata, quantum ob monumentorum ad id opus necessariorum inopiam fieri potest, describere animum induximus.

§. VIII.

Considerandus itaque primum venit ipse locus, qui tanto honore prae aliis patriae nostrae fuit affectus. Bonifacius passim in Epistolis suis, ut & Othlonus eum vocant *Buraburg*, Annales ejus aevi fere omnes *Buriaburg*, Lupus in *vita S. Wigberti, Buriburg*, Zacharias Ecclesiam cathedralem in hoc castro conditam *Barbaranam* dicit. In MS. Fritislariensibus plerumque *Burberch* appellatur. Trithemio *lib. III. de V. Ill.*

A 3

O. S. B.